

multi erant reprobi: vel certè fideles istos singulariter domum Iacob vocat, quam confusio-
nere volebat.

Quoniam ubi viderit natos suos opus manuum mearum in medio sui.] Non ineptè vertit quidam, Sed ubi
viderit natos suos, &c. non confundetur nunc, in præfenti discrimine, sed videbit adhuc natos suos: id est,
posteror è discrimine liberatos, & in medio sui ciuitatis videlicet Hierusalem, conseruatos: vbi il-
los viderit, agnoscat opus, id est, auxilium, manuum mearum, sanctificabitq; nomè meum. Hoc est,
nomen meum laudibus extollet, & sanctum Iacobi, Deum videlicet Israelis, tanquam protectorem
& conseruatorem timebit & colet. Vide, quòd vates vers. 19. læticiam & exultationem in Domino
ac sancto Israelis vocauit, id hic in oraculo Dei nominis illius sanctificatio vocatur. Nec aliquid
disconuenientiæ in eo est, quòd eidem populo, in eadem causa, inq; eodem Domino Deo, exulta-
tionem tribuit & timorem. Illic dicit, In sancto Israelis exultabunt: hîc, & Deum Israelis timebunt. Non
est necesse, vt læticiam pijs, timorem reprobis assignemus. Pij homines & timent Dominum, co-
lentes illum reuerenter, & exultant in Domino, quem Deum ac protectorem suum esse nouerunt.
Sic in iisdem sancta læticia & timori castus locum inueniunt. Timorem sine læticia, reproborum;
læticiam sine timore, prorsus carnalium esse, ne dubita.

Et scient errantes spiritu intelligentiam, & murmuratores discent doctrinam.] Pertinent hæc ad ea quæ suprâ
sunt versu 18 à vate de surdis ac cæcis verba libri auditoris, & ad impletionem eorum intellecturis,
dicta. Qui nunc, inquit, spiritu errant, id est, corde procul sunt à me, & murmurant contra prophetas
meos, visionesq; illorum irrident, tum scient intelligentiam, quam nunc respuunt: discent doctri-
nam, quam nunc impugnant. Loquitur autem de intelligentia & doctrina sinceræ fidei & pietatis, à
qua fœdissimè descuerant. Summa est: Vera esse cognoscent, quæ per prophetas prædicta, ne
audire quidem, nedum credere sustinuerunt. Hactenus istos secundum germanum historię sen-
sum exposuimus. Hieronymus & post illum recentiores etiam nonnulli, referunt eos ad regnum
Christi, ac tempus noui Testam. in quo surdis contigit audiendi ac cæcis videndi facultas: audiendi
videlicet doctrinam Euangelij Dei, & veritatem illius videndi & cognoscendi, in quo afflictis, one-
ratis & pauperibus prædicari cœpit Euangelium, & immensi gaudij oblata est occasio in quo de-
uictis est satan præualidus illusor, cum cohorte sua falsorum doctorum, ac reproborum iudicium,
qui iustos impietatis damnant, impios iustificat, & conscientias pauperum miserabiliter diuexant.
Horum carnificina inter eos utiq; cessauit, in quibus verè regnat Christus, lux mundi, victor satanæ,
& consolator afflictorum & pauperum: quamuis adhuc satan in Ecclesia malignantium per Apo-
stolos suos falsos doctores, ac reprobos iudices dominatum teneat. Iacob tamen, id est, populus
fidelium, non confunditur, quia scit cui credat, & certa fiducia ac spe cœlesti petræ innititur, læ-
tusq; videt progeniem ac sobolem electionis, opus manuum Dei, insidijs & infestationibus satanæ
ac mundi non posse extingui: sed per tribulationes ac tentationes ope & auxilio Domino illæsam
conseruari, deniq; multorum errantium & obmurmurantium mentes illuminari, & ad scientiam
D. veritas perducit.

C A P V T. XXXX.

Argumentum Capituli.

Redarguuntur reprobi in populo Iehudah, quòd ad regem Aegypti securitatis gratia confugissent, adijci-
tur comminatio flagelli Dei contra reprobos, & consolatio pro pijs ac resipiscentibus: circa calcem ve-
rò subiicitur de plaga Assyriorum.



AE filijs declinantibus, dicit Dominus, vt faciant consilium, & non ex me: & operiant (se)
operimento, & non (ex) spiritu meo, & vt addant peccatum peccato.

2. Qui pergunt descendere in Aegyptum, & os meum non interrogant: ad roborandum
se robore Pharaonis, & ad fidendum in vmbra Aegypti.

3. Et erit vobis robur Pharaonis in confusionem, & fiducia in vmbra. Aegypti in ignominiam.

4. Quoniam fuerunt in Zoan principes eius, & legati eius in Hanes venerunt.

5. Omnes confundentur super populo, qui non proderit ipsis, neq; ad auxilium, neq; ad utilitatem: sed
ad confusionem (erit) quin etiam ad opprobrium.

Væ filijs declinantibus.] Sic vocem םִרְרִי suprà etiam cap. 1. versu 22. vertimus Hieron habet, De-
fertores: Sept. Apostatae. Recentiores verterunt, alij, Contumacibus: alij, Declinantibus: alij, Inobediensibus:
alij, Defectoribus.

Et operiant se operimento. Ebr. םִסְבָּחָה וְלִגְסָרִי Verbum גְסָרִי & celare & tegere & conflare significat. Vnde
est, quòd particula est variè redditur. Septuaginta Et pactum. Hier. Et ordinem telam. Recentiores,
alij, Et tegerent tegumentum: alij, Vt operiant arcanum: alij, Vt contegant tegumento: alij, Quiq; fundunt
fusionem.

Quoniam fuerunt in Zoan principes eius.] Sept. Sunt enim in Tani principes angeli mali. Hier. Erunt enim in
Tanis principes tui. Quod in Ebræo est שָׂרֵי וְרִמְלָאֵי זֵאֵן, id est, Principes eius & nuncij eius: legit ille שָׂרֵי,
& רִמְלָאֵי, id est, Principes tui & nuncij tui.

Et legati eius in Hanes venerunt.] Illud, In Hanes venerunt. Sept. legerunt אֵינִי אֶבְרָהָם: & vertent es, Fru-
stra laborarunt, constituerunt hic principium versus sequentis. Sic pro אֵינִי cum ם, quod nomen est
ciuitatis in Aegypto, legerunt אֵינִי cum ם, quæ vox sonat frustra: & verbum אֵינִי sensu laborandi
reddiderunt. Significat quidem aliquando laborare & fatigari. Verum positum est hîc sensu peruenien-
di ac pertingendi aliquò cum molestia & labore.

Væ filijs declinantibus, dicit Dominus.] Prophetiam hanc alij aliò referunt. R. Shlomoh. ad Osee regem
Israel, qui nuncios misit ad regem Aegypti pro auxilio contra regem Assyriorum, 2. Reg. 17. Kimhi
Ebr. ad Ahas regem Iudah, vel ad principes Ezechia: quamuis non legatur in Scripturis, quòd illi
descena

LECTIO
vers. 1.

EXPLA-
NATIO
Vers. 1.